



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **KOLDAËNSIS** * IN SENEGALIA NOVA
CONDITUR DIOECESIS KOLDAËNSIS. Cum ad aeternam provehendam salutem gregis Dominici in Senegalia eiusque
regi mini facilius et efficacius consulendum nuper esset petatum ut, divisa Ziguinchorensi dioecesi, nova ibidem
circumscripcio ecclesiastica constitueretur, Venerabiles Fratres Nostri S.R.E. Cardinales atque Praesules, qui
Congregationi pro Gentium Evangelizatione sunt praepositi, omnibus mature perpensis habitoque pariter faventi voto
Venerabilis Fratris Ioannis Pauli Gobel, Archiepiscopi titulo Calatini in Campania et in eadem Natione Nuntii Apostolici,
admotam postulationem censuerunt esse accipiendam. Nos igitur, qui gravissimo fungimur munere supremi Pastoris
universae catholicae Ecclesiae, talem sententiam ratam habentes, summa Nostra potestate haec decernimus. A
Ziguinchorensi dioecesi separamus territorium districtuum civilium, qui patrio sermone nuncupantur Kolda, Sedhiou et
Valingara; ex eoque novam condimus dioecesim *Koldaënsem*, quam metropolitanae Ecclesiae Dakarensi suffraganeam
facimus atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione subicimus. Praeterea iubemus Episcopi sedem
poni in urbe « Kolda » atque templum paroeciale Deo in honorem « Notre-Dame des Victoires » ibidem exstans ad
dignitatem cathedralis ecclesiae evehimus; cetera vero secundum canonicas leges temperentur. Quae praescripsimus
perducat ad exitum Venerabilis Frater Ioannes Paulus Gobel, quem diximus, quique, re acta, curabit documenta
exaranda sincerisque exemplis ad memoratam Congregationem mittenda. Hanc denique Apostolicam Constitutionem
nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum
Petrum, die vicesimo secundo mensis Decembris, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo nono, Pontificatus
Nostri vicesimo secundo.*

ANGELUS card. SODANO	IOSEPHUS card. TOMKO
<i>Secretarius Status</i>	<i>Congr. pro Gentium Evang. Praef.</i>

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Leonardus Erriquenz, *Protonot. Apost.*

*A.A.S., vol. XCII (2000), n. 5, pp. 380-381 © Copyright 1999 - Libreria Editrice Vaticana